

Joseph Resch

Peccator deicida

(1745)

Text mit Übersetzung und Anmerkungen

von Nikolaus Hölzl

Innsbruck 2020

v. 2.1 (25.03.2020)

Text und Satz: Stefan Zathammer

Übersetzung und Anmerkungen: Nikolaus Hölzl

Erschienen im Rahmen des Projekts **Brixner Schultheater im 18. Jahrhundert: Edition und Übersetzung der neulateinischen Dramen von Joseph Resch**

Projektleitung

Prof. Wolfgang Kofler (Leopold-Franzens-Universität Innsbruck)



Fördergeber

Autonome Provinz Bozen – Südtirol



Projektpartner

Albrecht-Ludwigs-Universität Freiburg (Prof. Stefan Tilg)

Bibliothek des Priesterseminars Brixen

Bischöfliches Institut Vinzentinum Brixen

Ludwig-Boltzmann-Institut für Neulateinische Studien Innsbruck

Stiftsarchiv und -bibliothek Kloster Neustift (Ursula Stampfer)

Inhalt

Edition

4

Übersetzung

30

Edition

Tragoedia I.

PECCATOR DEICIDA

IN COLONO

EVANGELICO

Homicida obumbratus,

Et in pia Meditatione in Scenam datus

veni Jejunii tempore,

Coram Celsissimo ac Reverendissimo

D. D.

CASPARO IGNATIO

EPISCOPO

Et S. R. I. Principi Brixinensi, a Con-
gregatione Studiosorum Episcopalis

Gymnasii Brixinensis, sub titulo &

patrocinio B. V. M. ab Angelo salu-

tatae, 1745.

Argumentum ex evangelio.

Homo erat paterfamilias, qui plantavit vineam et sepem circumdedit ei, fodit in ea torcular, aedificavit turrim, locavit eam agricolis et peregre profectus est. Cum autem tempus fructuum appropinquasset, misit servos suos ad agricolas, ut acciperent fructus eius. Et agricolae apprehensis servis eius alium caeciderunt, alium occiderunt, alium vero lapidaverunt. Iterum misit alios servos plures prioribus et fecerunt^a eis similiter. Novissime autem misit ad eos filium suum dicens: „Verebuntur filium meum.“ Agricolae autem videntes filium dixerunt inter se: „Hic est haeres. Venite, occidamus eum! Et habebimus haereditatem eius.“ Et apprehensum eum eiecerunt extra vineam et occiderunt. Cum ergo venerit dominus vineae, quid faciet agricolis illis?

Matthaei cap. 21 a v. 33, item Lucae c. 20 a v. 9, Marci c. 17 a v. 1.

Poesis huius evangelicae parabola incipit a rebellione agricolarum in filium[p. 6]familias, cuius caedes hic non supponitur prima iam vice absoluta, sed lethali duntaxat vulnere incohata et consumata demum in ultima catastrophe.

Scaena figitur in villa vineae patrisfamilias.

Prologus musicus

Divina Iustitia ad vindictam a peccatoribus sumendam irritata.

Actus I seu meditationis punctum primum

(I)^b Colonus evangelicus totidem peractis caedibus nequior (II) a filiofamilias correptus, non correctus (III) adhibito suorum agricolarum ministerio (IV) eundem per insidias deprehensum lethali vulnere perstringit.

Reflexio super meditationis puncto I instituta ab angelo custode sub nomine Azariae cum anima cuiuscunque peccatoris sub nomine Protei.

Actus seu punctum II

(I) Adventu patrisfamilias (II) factam, ut putabat, filii sui caedem deplorantis (III) et per suos satellites (IV) in caedis authores inquirentis, (V) territi agricolae, (VI) praesidium.

^a Der Druck hat *secerunt*.

^b Der Druck hat zu Beginn stets *Scena I.* etc.

Peccator deicida – Synopsis et divisio tragoediae

[p. 7] *Reflexio Azariae et Protei in punctum II.*

Actus seu punctum III

(I) Colonus desperabundus (II) a satellitibus in vincula coniectus (III) iudici sistitur patrifamilias, (IV) qui a lata mortis sententia nequicquam dimovendus, (V) adducto tamen filiofamilias, qui semianimis inter vineae dumeta inventus est, mitiora edoctus eundem a multa mortis absolvit, cum a suo filio et vitam et sanguinem velut hostiam pro hostibus agricolis offerri cerneret. (VI) Colonus hoc portento denique commotus ad meliorem frugem redit.

Reflexio supra punctum III et propositum practicum in universam meditationem.

Epilogus musicus

Iustitia oblato per Misericordiam sanguine mitigata.

[p. 8] PERSONAE

Colonus Evangelicus	COL.
Paterfamilias	PAT.
Filiusfamilias	FIL.
Patronus coloni	PATRO.
Agricolae et satellites	AGR. <i>et</i> SAT.
Azarias	AZA.
Proteus	PRO.
In musica autem Iustitia et Misericordia divina, uti et umbrae interfectorum	IUS. <i>et</i> MIS. UMB.

Iustitia divina et Umbrae servorum patrisfamilias, quos agricolae dederunt neci.

UMB. I. (*in basso recitativo*) Vindica, domine, sanguinem sanctorum tuorum, qui effusus est. Hi sunt, qui venerunt ex magna tribulatione et laverunt stolas suas in sanguine. Innotescat in nationibus ultio sanguinis servorum tuorum, introeat in conspectu tuo gemitus compeditorum.

OMNES UMB. (*in canto, ut vocant, contrapuncto*) Sub throno dei omnes sancti clamant:
„Vindica sanguinem nostrum, deus noster!“

IUS. (*Recitativo*) Adhuc sustinete modicum, donec impleatur fratrum vestrorum numerus.

Aria in canto

1. Ultionem

et mucronem

 soli mihi vindico:

 Solum dei

 iuris mei

 in homines esto ultio.

Damnabo,

[p. 10] necabo.

Hoc spectat ad me.

 Damnare,

 necare

 non spectat ad te.

2. Ego neco,

ego seco,

dominus mortificat,

 inconcussa

 sunt iussa,

 dominus vivificat.

Hanc almam

vicet palmam

 clementiae pax.

Vicet atrum

theatrum

 Iustitiae fax.

Peccator deicida – Prologus musicus

UMB. I. (*Recitativo*) Nos sumus oves pascuae tuae, redde vicinis nostris septuplum et confitebimur tibi in saeculum.

[p. 11] ACTUS SEU PUNCTUM I

Scaena I

Colonus et agricolae.

COL. Gaudete in domino semper, iterum dico, gaudete (Phil 4)! Arcus fortium superatus est (1 Reg 2). Iterum dico, gaudete! Leo cepit sufficienter catulis suis, implevit praeda speluncas et cubile suum rapina (Nahum 2). Iterum dico, gaudete! Manus nostra excelsa fecit haec omnia (Deut 32).

AGR. I. Dexterata tua, domine, magnificata est in fortitudine, dextera tua, domine, percussit inimicum et in multitudine gloriae tuae deposuisti adversarios tuos (Exodi 15).

AGR. II. Quis similis tui in fortibus, domine? Quis similis tui? (ibid.)

COL. Laetabor et exultabo (Psalm 9), sicut exsultant victores capta praeda, quando dividunt spolia (Isaia 9).

[p. 12] AGR. I. Linguam nostram magnificabimus. Quis noster dominus est? (Psalm 11)

AGR. II. A deo abscondar et ex summo quis mei memorabitur? (Eccl 16)

COL. Non est deus (Psalm 13), non est scientia dei in terra (Oseae 4) et si est scientia in excelso (Psalm 72). Oblitus est deus, non requiret (Psalm 113). Peccavi et quid mihi accidit triste? (Eccl 5) Dum tempus habemus (Galat 6), fruamur bonis (Sap 2).

AGR. I. Venite ergo et fruamur bonis, quae sunt, et utamur creatura tamquam in iuventute celeriter, vino pretioso nos impleamus et non praetereat flos temporis (ibid.).

AGR. II. Coronemus nos rosis, antequam marcescant, nullum sit pratium, quod non pertranseat luxuria nostra. Ubique relinquamus signa laetitiae, quoniam haec est pars nostra et haec est sors (ibid.).

COL. Vadam et affluam delitiis et fruar bonis (Eccl 2) et erit sicut heri, sic et cras et multo amplius (Isa 56). Adamavi quippe alienos, vadam et post eos vadam, ambulabo (Ierem 2).

[p. 13] Scaena II

Colonus et filiusfamilias.

FIL. Quis est iste, involvens sententias sermonibus imperitis? (Iob 38)

COL. Nunquid ego canis sum, quod tu venis ad me cum baculo? (1 Reg 17)

FIL. Sermo mihi est ad te (3 Reg 2). Ausculta, quod loquor (Gen 23).

COL. Quis est iste sermo? (Dan 13)

FIL. Pater misit me (1 Ioan 4) filium suum unigenitum (1 Ioan 4), ut ab agricolis acciperet de fructu vineae (Luc 20). Haec dicit dominus (Ier 30): „Ego plantavi vineam, vineam

- electam, omne semen verum. Quomodo ergo conversa es mihi in pravum vinea aliena?“ (ibid. 2) Hic est sermo, quem praecepit dominus (Exod 16).
- COL. Quis est dominus, ut audiam vocem eius? Nescio dominum (Exod 5).
- FIL. Usquequo loqueris talia? (Iob 8) Oblitus es domini tui, (Deut 32) cui servi[p. 14]re potissimum debueras (Ios 24) in conspectu omnipotentis (Exod 34).
- COL. Quis est omnipotens, ut serviamus ei? (Iob 21)
- FIL. Quae est fiducia, qua confidis, aut quo consilio aut fortitudine rebellare disponis? Confidis super baculum arundineum (Isa 30).
- COL. Nunquid rex noster eris aut subiciemur ditioni tuae? Adorabimus te super terram? (Gen 37)
- FIL. Superbia tua ascendit in aures meas, ponam ergo circulum in naribus tuis et frenum in labiis (Isa 37). Pater meus plantavit vineam (Luc 20), plantavit eam electam (Isa 5), aedificavit turrinam in medio eius, torcular exstruxit in ea (Matth 21). Exspectavit ut faceret uvas et fecit labruscas (Isa 5). Diffamatus es, quasi dissipasses bona illius (Luc 16).
- COL. Audivi sermones tuos, quos locutus es ad me (1 Reg 28). Audi et ego loquar (Iob 42). Consummata est vindemia, collectio ultra non veniet (Isa 32). Non est uva in vitibus et non sunt ficus in ficulnea (Ier 8).
- [p. 15] FIL. Haecine reddis domino? Nonne haec credita sunt apud te et signata in thesauris meis (Deut 32). Ubi est ergo nunc praestolatio mea? (Iob 19)
- COL. Praestolatio tua non auferetur (Prov 23).
- FIL. Redde, quod debes (Matth 18). Redde rationem villicationis tuae (Luc 16).
- COL. Stipulam siccam persequeris (Iob 3).
- FIL. Amen dico tibi: „Non exibis inde, donec reddas novissimum quadrantem (Matth 5).“
- COL. Domine, scio quia homo durus es. Metis, ubi non seminasti, et congregas, ubi non sparsisti. Timens abii et abscondi talentum tuum in terra. Ecce habes, quod tuum est (Matth 25).
- FIL. De ore tuo te iudico, serve nequam. Sciebas, quod ego homo austerus sum, et quare non dedisti pecuniam meam ad mensam? (Luc 19) Serve male et piger, sciebas, quia meto, ubi non semino, et congrego, ubi non sparsi. Oportuit ergo te committere pecuniam nummulariis (Matth 25). Vade ad formicam, o piger, quae cum non habeat ducem nec praeceptorem nec principem, congregat in messe, quod comedat. Us[p. 16]quequo piger dormies, homo apostata, vir inutilis (Prov 6)? Ostendam, quid ego faciam vineae meae. Auferam sepem eius et erit in direptionem. Diruam maceriam eius et erit in conculcationem (Isa 5). Exepplam te de statione tua et de ministerio tuo deponam te (ibid. 12).
- COL. Contra folium, quod vento rapitur, ostendis potentiam tuam (Iob 3).
- FIL. Usquequo non vis subici mihi? (Exod 10) Noli esse sine metu! Subito enim veniet ira illius et in tempore vindictae disperdet te (Eccli 5). Quia vocavi et renuistis, despexistis omne consilium meum et increpationes meas neglexistis, ego quoque in

Peccator deicida – Actus I

interitu vestro ridebo et subsannabo cum vobis id, quod timebatis, advenerit, cum irruerit repentina calamitas et interitus quasi tempestas ingruerit (Prov 16). Quando venerit super vos tribulatio et angustia, tum invocabunt me et non exaudiam (ibid. 1).

[p. 17] Scaena III

Colono accedunt agricolae.

COL. Quid faciam, quia dominus meus aufert a me villicationem. Fodere non valeo, mendicare erubesco. Scio, quid faciam (Luc 16). Venite filii, audite me (Psal 33). Qui fidelis est in minimo et in maiori fidelis est (Luc 16).

AGR. I. Quid tibi vis? Cur clamas? (Iud 18)

COL. Traditi sumus in mortem (Esther 7). Dominus meus aufert a me villicationem (Luc 16).

AGR. II. Quis est iste et cuius potentiae, ut audeat haec facere? (Esth 7)

COL. Filium dei se nominat (Sap 2). Hic est haeres, venite, occidamus eum et habebimus haereditatem eius (Matth 21). Veni nobiscum, insidiamus sanguini, abscondamus tendiculas. Sortem mitte nobiscum, marsupium unum sit omnium nostrum (Prov 1).

AGR. I. Circumveniamus ergo iustum, quoniam inutilis est nobis et [p. 18] contrarius operibus nostris. Improperat nobis peccata legis et diffamat in nos peccata disciplinae (Sap 2).

AGR. II. Factus est nobis in traductionem cogitationum nostrarum, gravis est nobis etiam ad videndum, quoniam dissimilis est aliis vita illius (ibid.).

AGR. I. Contumelia et tormento interrogemus eum (ibid.). Mittamus lignum in panem eius, eradamus eum de terra viventium et nomen eius non memoretur amplius (Ier 11).

AGR. II. Sic oportet fieri (Matth 26). Nolumus hunc regnare super nos (Luc 19). Quando morietur et peribit nomen eius? (Ps 40) Sanguis eius super nos et super filios nostros (Matth 27).

COL. Morte turpissima condemnemus eum (Sap 2).

AGR.^a Fiat, fiat (Psal 40).

COL. Deus dereliquit eum, persequimini et comprehendite (Psal 70). Considerate locum, ubi sit pes eius (1 Reg 27).

AGR. I. Quid vultis mihi dare? Et ergo eum vobis tradam (Matth 26).

COL. Triginta argenteos (ibid.).

[p. 19] AGR. II Ego, ego capiam, vadam et tollam et non est, qui eruat (Oseae 5).

(Agricolae abeunt.)

^a Der Druck hat bloß *Agric.* Gemeint ist wohl *omnes agricolae.*

Peccator deicida – Actus I

COL. Persequar et comprehendam, dividam spolia, evaginabo gladium meum, interficiat anima mea (Exod 15). Quis me videt? Tenebrae circumdant me et nemo circumspicit me, quem vereor? (Eccl 23)

Scaena IV

Filiusfamilias, colonus et agricolae.

COL. Ipse est, tenete eum (Matth 26).

AGR. I. Venite, occidamus eum et mittamus in cisternam veterem (Gen 37).

FIL. Quem quaeritis? (Ioan 18) Quid cogitatis contra Dominum? (Nah 1) Tanquam ad latronem existis cum gladiis et fustibus comprehendere me (Matth 26).

AGR. II. Nunquid non repente consurgent, qui mordeant te, et suscitabuntur lacerantes te et eris in rapinam? (Hab 2)

FIL. (*ad colonum*) Amice, ad quid venisti? (Matth 26) Mitte gladium tuum in va[p. 20]ginam (Ioan 18). Qui laqueum alii ponit, peribit in illo (Eccl 26).

COL. Scio, quia morti trades me (Iob 30). Tu morieris (4 Reg 20).

FIL. Heu mihi! (Psal 119) Cui loquar? Quem contestabor, ut audiat! (Ier 6) Heu mihi! Conclusit me deus, semitam meam circumsepsit et transire non possum (Iob 19). O domine, libera animam meam, quia ecce irruerunt in me fortes, ceperunt animam meam (Psal 114). Venatione ceperunt me quasi avem inimici mei gratis (Thren 3). In via hac, qua ambulabam, absconderunt laqueum mihi (Psal 141). Captabunt in animam iusti et sanguinem innocentem condemnabunt (Psalm 93).

COL. Iam nunc depone ornatum tuum (Exod 33). Detrahetur ex te fortitudo tua (Am 3). Nunc immittam furorem meum iuxta vias tuas (Ezech 7).

FIL. Obsecro, parce mihi (Iob 7).

COL. Non parces oculus meus super te et non miserebor (Eze 7).

FIL. (*flectit supplex*) Parce (Iob 7).

AGR. I. Tace, obmutesce (Marc 4). Non parcam.

[p. 21] AGR. II. Et ego non parcam ultra (Zach 11).

COL. Fac vindictam in homine isto (1 Mach 7). Noli pati eum esse innoxium (3 Reg 2).

FIL. (*iterato percussus*) Quid feci tibi? Cur percutis me iam tertio? Dic, quid simile unquam fecerim tibi? (Num 11)

COL. Tace, nequaquam ultra loquaris (Deut 32).

AGR. I. Velociter spolia detrahe, cito praedare (Isai 8).

AGR. II. Inter spolia pallium coccineum valde bonum (Ios 7) tolle tibi (2 Reg 2).

AGR. I. Omnes pretiosam substantiam redimemus et implebimus domos nostras spoliis (Prov 16). Haec est pars hominis impii a deo (Iob 20).

COL. Deglutiamus eum sicut infernus viventem et integrum quasi descendentem in lacum (Prov 16).

[p. 22] Reflexio animi

Azarias et Proteus.

AZA. Generatio prava et exasperans haecce reddis domino, popule stulte et insipiens? (Deut 32) Popule meus, quid feci tibi aut quid molestus fui? Responde mihi (Mich 6). Dereliquisti dominum deum tuum, confregisti iugum meum, rupisti vincula mea et dixisti: „Non serviam (Ier 2)!“ Popule meus, memento, quaeso, quia eduxi te de terra Aegypti, de domo servientium liberavi te. „Misi ante faciem tuam meos prophetas, quos acceptos interfecistis et laniastis corpora eorum, quorum sanguinem exquiram“, dicit dominus. Maculastis manus vestras sanguine et pedes vestri impigri sunt ad committenda homicidia. (4 Esd 1)^a. Devoravit gladius vester prophetas quasi leo vastator et in alis tuis inventus est sanguis animarum pauperum et innocentum (Ierem 2). Ierusalem, Ierusalem, quae occidis et lapidas eos, qui ad te missi sunt (Matth 23). Popule meus, quid faciam [p. 23] adhuc? (Mich 6) Quid tibi faciam Iacob? Noluisti obedire, Iuda. Quid ultra debui facere tibi et non feci? Nonne ego vos rogavi, ut essetis mihi in populum et ego vobis in deum, vos mihi filios et ego vobis in patrem? (4 Esdr 1) Quoties volui congregare filios, quemadmodum gallina congregat pullos suos, et noluistis? (Matth 23) Nonne in deserto dedi vobis manna in escam? Nonne cum sitiretis, petram excidi et fluxerunt aquae? Ego Cananaeos a facie vestra proieci, ego vos per mare transmeavi, ego dolui dolores vestros, vos autem mei obliti estis (4 Esdr 1). Duo mala fecit populus meus: Me dereliquerunt fontem aquae vivae et foderunt sibi cisternas, cisternas dissipatas (Ierem 2). Quid faciam vobis? Usquequo eos sustinebo, quibus tanta beneficia contuli? Proiciam vos a facie mea, quoniam me dereliquistis et ego vos derelinquam (4 Esd 1).

PRO. Unde te habemus, bone iuvenis?

AZA. Ex filiis Israel.

PRO. Rogo te, indica mihi, de qua domo aut de qua tribus es tu?

AZA. Genus quaeris mercenarii an [p. 24] ipsum mercenarium? Sed ne forte sollicitum te reddam, ego sum Azarias, magni Anani filius (Tob 5).

PRO. Ex magno genere es tu, sed peto, ne irascaris, quod voluerim cognoscere nomen tuum (Tob 5). Utinam consumptus essem, ne oculus me videret (Iob 10).

AZA. Quare vultus tuus tristis est? (2 Esd 2).

^a *Liber Esdrae quartus*, apokryph.

PRO. Quis mihi tribuat, ut sim iuxta menses pristinos, secundum dies, quibus deus custodiebat me, quando splendebat lucerna eius super caput meum et ad lumen eius ambulabam in tenebris, sicut fui in diebus adolescentiae meae, quando omnipotens erat mecum? (Iob 29)

AZA. Dereliquisti fontem sapientiae. Si in via dei ambulasses, habitasses utique in pace sempiterna (Bar 3). Iustitia elevat gentem, miseros autem facit peccatum (Prov 14).

PRO. Factus sum velut filius Belial (1 Cor 10) foetidus et male olens (1 Reg 25). Denigrata est super carbones facies et facta est quasi lignum (Iob 2).

[p. 25] AZA. Obscuratum est aurum, mutatus est color optimus et egressus est omnis decor (Thren 4). Eras plenus sapientia et perfectus decore, omnis lapis pretiosus operculum tuum, smaragdus et aurum opus decoris tui (Ezech 16). Eras corona gloriae in manu domini et diadema regni in manu dei tui, donec inventa est iniquitas in te (Is 62).

PRO. Homo cum in honore esset, non intellexit, comparatus est iumentis insipientibus et similis factus est illis (Psal 48). Unusquisque tentatur a concupiscentia sua. Haec cum conceperit, parit peccatum, peccatum vero generat mortem (Iac 1).

AZA. Subtus te erit appetitus tuus et tu dominaberis illius (Gen 4). Revela domino viam tuam et spera in eo et ipse educet quasi lumen iustitiam tuam et iudicium tuum tanquam meridiem (Psal 36). Sperantem in domino misericordia circumdabit (Psal 31). Confitere domino peccata tua (Dan 2), presbytero humilia animam tuam (Eccli 4).

PRO. Terrores domini militant contra me (Iob 6). Replevit me amaritudine, [p. 26] inebriavit me absynthio (Thren 3). In tenebrosis collocavit me, sicut mortuos saeculi (ibid.).

AZA. Convertere ad dominum et relinque peccata tua (Eccli 17). Revertere ad dominum et avertere ab iniustitia tua. „Revertere ad me“, dicit dominus, „et ego suscipiam te (Ier 3).“

PRO. Maior est iniquitas mea, quam ut veniam merear (Gen 4).

[p. 27] ACTUS SEU PUNCTUM II

Scaena I

Paterfamilias.

Habitatores Ierusalem et viri Iuda, iudicate inter me et vineam meam. Quid est, quod debui facere vineae meae et non feci? An quod exspectavi, ut faceret uvas, et fecit labruscas. (Isai 5) Ego misi ad cultores servum, ut de fructu vineae darent illi (Luc 20), qui apprehensum ceciderunt et dimiserunt vacuum (Marc 12). Placuit alterum servum mittere, illi autem hunc quoque caedentes et afficientes contumelia dimiserunt inanem (Luc 20). Et placuit tertium mittere, qui et illum vulnerantes eiecerunt. Misi iterum alios servos plures prioribus et fecerunt eis similiter (ibid.). Adhuc ergo unum habens filium carissimum misi ad eos novissimum dicens: „Quia verebuntur filium meum (Marc 12). Ubi est ergo nunc praestolatio mea? (Iob 19) [p. 28] Puer non comparet (Gn 37). Quo abiit dilectus meus candidus et rubicundus, electus ex millibus?“ (Cant 5).

Scaena II

Paterfamilias et duo satellites.

SAT. I. Heu, heu, heu, domine! (Ier 32).

PAT. Quid sibi volunt haec? (1 Reg 16).

SAT. I. In amaritudine est sermo meus (Iob 23). Sensus cordis mei turbati sunt in me. Ecce pervenit gladius usque ad animam (Ier 4).

PAT. Quid accidit? (Ier 48)

SAT. I. Quod verebar, accidit (Iob 3). Mirabilia facta sunt in terra (Ier 5). Omnia commista sunt, sanguis, homicidium, furtum et fictio, corruptio et infidelitas (Sap 14).

PAT. Quid vidisti? (1 Regum 16)

SAT. I. Ego, ego sum, ego vidi (Ier 7). Posuerunt mortalia servorum tuorum escas volatilibus caeli, carnes sanctorum tuorum bestiis terrae, effuderunt sanguinem eorum tanquam aquam in [p. 29] circuitu Ierusalem et non erat, qui sepeliret (Psalm 78). Acceperunt spolia in praedam (1 Mach 7)^a, acceperunt vestimenta (Ioan 19) diripueruntque substantiam, quae inventa est (2 Par 21).

SAT. II. Heu domine! In memet ipso marcescit anima mea et possident me dies afflictionis (Iob 30).

PAT. Quaenam res accidit? (1 Reg 20)

^a Der Druck hat in Fußnote (b) nur 1 Mach ohne Kapitelzählung.

Peccator deicida – Actus II

SAT. II. Defecit anima mea propter interfectos (Ier 4). Maledictum et mendacium, homicidium et furtum inundaverunt (Ioel 4) Captivus ductus est populus (Isa 5) in gladio, in flamma, in rapina (Dan 11). Atque utinam solus perisset! (Ios 20). Esset tolerabile malum et gemens tacerem (Esther 7).

PAT. Estne pax puero Absalon. (2 Reg 18).

SAT. II. Incidit in manus diripientium eum (Iudic 2). Manum suam misit hostis ad omnia desiderabilia eius (Thren 1).

PAT. Quis est iste sermo, quem locutus es? (Dan 13) Penetrabilior omni gladio ancipiti et pertingens usque ad divisionem animae ac spiritus, compagum quoque ac medullarum (Hebr 4). Quis [p. 30] audivit unquam tale aut quis vidit huic simile? (Isa 66)

SAT. I. Vidimus eum et non erat aspectus, desideravimus eum virum dolorum et quasi absconditus vultus eius (Isa 53).

SAT. II. Nos putavimus eum quasi leprosum (Isa 53). Non est species ei neque decor, a planta pedis usque ad verticem capitis non est in eo sanitas (ibid. 1).

PAT. Audite hoc et auribus percipite omnes habitatores terrae, si factum est istud in diebus vestris aut in diebus patrum vestrorum (Ioel 1).

SAT. I. Locutus sum ad eum dicens: „Tu, quis es?“ At ille respondit (4 Reg 3): „Ego autem sum vermis et non homo, opprobrium hominum et abiectio plebis (Psal 11).“

SAT. II. Tunicam polymitam invenimus. Vide, utrum tunica filli tui sit an non? (Gen 37)

PAT. Tunica filii mei est, fera pessima comedit eum, bestia devoravit (ibid.). Singularis ferus depastus est eum (Psal 79), lupus rapax, leo rapiens et rugiens (Psal 21). Fili mi Absalon, Absalon fili mi, quis mihi tribuat, ut ego mo[p. 31]riar pro te? Absalon fili mi, fili mi Absalon! (2 Reg 18) Descendam ad filium meum lugens in infernum (Gen 37).

Scaena III

Remanent duo satellites.

SAT. I. Quis est, qui fecit haec? (Eccl 31) Vae homini illi! Bonum erat ei, si natus non fuisset homo ille (Matth 26).

SAT. II. Cum iudicatur, exeat condemnatus, diabolus stet a dextris eius (Psal 108).

SAT. I. Dilexit maledictionem et veniet ei. Fiat ei sicut vestimentum, quo operitur, et sicut zona, qua semper praecingitur (ibid.).

SAT. II. Fiant dies eius pauci, fiant filii eius orphani et uxor eius vidua (ibid.).

SAT. I. Nutantes transferantur filii eius et mendicent et eiiciantur de habitationibus suis, in generatione una deleatur nomen eius (ibid.).

Peccator deicida – Actus II

[p. 32] Scaena IV

Paterfamilias et priores.

PAT. Haec faciat mihi deus et haec addat (Ruth 1)^a: Revelabitur ille iniquus (1 Thess 2). Considerate locum, ubi sit pes eius, considerate et videte omnia latibula, in quibus absconditur; recogitat enim de me, quod callide insidier ei (1 Reg 23). Quem mittam et quis ibit nobis? (Isai 6)

SAT. I. Ecce ego, quia vocasti me (1 Reg 9). Quid vis fieri? Praesto sum (Gen 37).

SAT. II. Ecce ego, mitte me (Isai 6).

PAT. Euge, serve bone et fidelis! (Matth 25) Veni, mittam te ad eos. Vade, vide et renuntia mihi, quid agatur (Gen 37). Ne taceas neque compescaris (Psalm 82). Effunde super eos iram tuam et furor irae tuae comprehendat eos (Psal 103). Accingere gladio super femur tuum (Psal 44). Apprehende arma et scutum et exsurge (Psalm 34).

SAT. I. Ecce hic gladius, limatus est, ut sit in manu interficientis (1 Reg 22). [p. 33] Consummentur quasi stipula ariditate plena (Ier 15), quia ignis succensus est in furore meo (Nah 1).

SAT. II. Mucro, mucro evagina te ad occidendum, lima te ut interficias et fulgeas (Ezech 1). Persequar et comprehendam et non convertar donec deficiant (Psal 17).

PAT. Fac, sicut locutus es (1 Par 17). Alligetur vinculo ferreo et aeneo (Dan 4). In interitu suo corruet (Prov 28).

Scaena V

Satelles et agricola.

SAT. Quisnam es tu, unde venis? (2 Reg 1)

AGR. Domine, ego servus tuus et filius ancillae tuae (Psal 115).

SAT. Ubi est frater tuus (Gen 4), servus domini mei? (2 Reg 11)

AGR. Nescio. Num custos fratris mei sum ego? (Gen 4)

SAT. Quaesivi eum et non inveni (Cant 3). Si etiam in terram se abstruserit, scrutabor eum (1 Reg 23).

[p. 34] AGR. Vae mihi! Versa est in luctum cithara mea et organum meum in vocem flentium (Iob 30). Quid faciam, cum surrexerit ad iudicandum deus? Et cum quaesierit, quid respondebo illi? (ibid. 31) Dominus meus et deus meus! (Ioan 20) Quo ibo a spiritu tuo et quo facie tua fugiam? Si ascendero in caelum, tu illic es, si descendero in infernum, ades (Psalm 138). Ero vagus et profugus in terra. Omnis igitur, qui invenerit me, occidet me (Gen 4).

^a Der Druck hat in der Fußnote nur *Ruth* ohne Kapitelzählung.

Peccator deicida – Actus II

Scaena VI

Ambo agricolae.

AGR. I. Quid ploras? Quare tu gemis? Quare maerore contraheris? (Mich 4) Quare non indicas nobis, quid ista significant? (Mich 4) Cur mihi non loqueris? (Ezech 24)

AGR. II. Si coeperimus loqui tibi, forsitan (Esth 15) moleste accipies (Iob 4). Angustiae sunt mihi undique (Dan 13). Pertimesco et concutit carnem tremor (Iob 21).

AGR. I. Tristitiam non des animae tuae [p. 35] (Eccli 30) neque affligas cor tuum (3 Rg 13).

AGR. II. Quare non maereat vultus meus? (2 Esd 2) Traditi enim sumus, ut conteramur, iugulemur, pereamus (Esth 7).

AGR. I. Quomodo fiet istud? (Luc 1)

AGR. II. Prope est dies domini (Isai 3), iuxta est et velox nimis (Soph 1). Quamobrem considera et recogita, quid facias (1 Reg 25). Ego a facie tua abscondar, a facie tua fugiam (Psal 138).

AGR. I. Ne discesseris a me, quoniam tribulatio proxima est (Psal 21). Etiam proximo suo pauper odiosus erit, amici vero divitum multi (Prov 14). Si possides amicum, in tentatione posside eum et ne facile credas ei. Est amicus socius mensae et non permanebit in die necessitatis (Eccli 6).

Reflexio animi in punctum II

Azarias et Proteus.

AZA. Obstupescite, caeli, super hoc et portae eius desolamini vehementer (Ier 2). Filios enutrivi et exaltavi, ipsi autem spreverunt me. Cagno[p. 36]vit bos possessorem suum et asinus praesepe domini sui (Isai 1), milvus in caelo cognovit tempus adventus sui (Ier 8). Israel autem me non cognovit et populus meus non intellexit (Isai 1). Vae dissolutis corde! (Eccli 2) Vae genti peccatrici, populo gravi iniquitate, semini nequam, filiis sceleratis! (Isai 1) Vae vobis viri impii, qui dereliquistis legem dei altissimi! (Eccle 11) Vae qui trahitis iniquitatem in vinculis et quasi plaustrum peccatum! (Isai 5) Intelligite haec, qui obliviscimini deum (Psal 49). Qui habentes oculos non videtis (Ier 5). Nolite obdurare corda vestra (Psal 49). Nolite fieri sicut equus et mulus, quibus non est intellectus (Psal 31). Propter quod inexcusabilis es, o homo. Secundum autem duritiam tuam et impenitentem cor thesaurizas tibi iram in die irae (Rom 2).

PRO. Heu mihi! Quoniam non obedivimus praeceptis tuis, ideo traditi sumus in direptionem, in mortem, in improperium omnibus gentibus (Iob 3).

AZA. Si impius egerit poenitentiam ab omnibus peccatis suis, vitat vivet et non morietur (Eze 18).

[p. 37] PRO. Putasne mortuus homo rursus vivat? (Iob 14)

AZA. Ubi est spes tua? (Tob 2)

PRO. Spes impii tanquam lanugo, quae a vento tollitur (Sap 5).

AZA. Spes non confundit (Rom 5)^a.

PRO. Lignum habet spem. Si praecisum fuerit, rursus virescit, homo vero cum mortuus fuerit, ubi, quaeso, est? Cum dormierit, non resurget (Iob 14).

AZA. Non ignoras, quod periculosa sit desperatio. (2 Reg 2)

PRO. Non est, qui requirat animam meam, non est, qui redimat, neque, qui salvum faciat (Ps 7)^b.

AZA. Usquequo morabuntur in te cogitationes noxiae? (Ier 4) Arguis verbis eum, qui non est aequalis tibi, imitaris linguam blasphemantium; docuit enim iniquitas cor tuum (Iob 15). Non vult deus perire animas (2 Reg 14)^c, qui omnes homines vult salvos fieri (1 Timot 2), nolens aliquos perire, sed omnes ad poenitentiam reverti (2 Pet 3).

PRO. Odio sunt deo impius et impietas eius (Sap 14).

AZA. Vulgo dicitur: „Si dimiserit [p. 38] vir uxorem suam et recedens ab eo duxerit virum alterum, nunquid revertetur ad eum ultra?“ „Tu autem aversatrix Israel fornicata es cum amatoribus multis, tamen revertere ad me“, dicit dominus, „revertere et non avertam faciem meam et non irascar in perpetuum (Ier 3).“

PRO. Peccatum aggravatum est nimis (Gen 18).

AZA. Auferte malum cogitationum vestrarum. Si fuerint peccata vestra ut coccinum, quasi nix dealbabuntur, et si fuerint rubra quasi vermiculus, velut lana alba erunt (Isa 1). Miserator et misericors dominus (Psalm 110) proiciet in profundum maris omnia peccata (Mich 7). Convertimini, filii revertentes, assumam vos, sanabo aversiones vestras (Ier 3). Obsecramus in domino reconciliemini deo (2 Corinth 15). Audite me duro corde, qui longe estis a iustitia, mementote, confundamini. Haec dicit dominus exercituum: „Convertimini (Zachar 1)! Convertimini et agite poenitentiam (Ezech 18). Si poenitentiam egeritis a malo, quod locutus sum adversus eos, agam et ego [p. 39] poenitentiam super malo, quod cogitavi, ut facerem (Ier 18). Convertimini de viis vestris malis et de cogitationibus vestris pessimis, convertimini ad me et convertar ad vos (Zach 1).“

^a Der Druck hat in der Fußnote nur *Rom* ohne Kapitelzählung.

^b Der Druck hat in der Fußnote nur *Psal* ohne Kapitelzählung.

^c Der Druck ist im Apparat fehlerhaft, es fehlen im Fließtext die Fußnotenanker (*i*) = *Iob 15* nach *cor tuum* und (*k*) = *2 Reg 14* nach *perire animas*.

[p. 40] ACTUS VEL PUNCTUM III

Scaena I

Colonus desperabundus.

Heu mihi in quantam tribulationem deveni et in quos fluctus tristitiae! (1 Mach 6) Tribulatio et angustia invenerunt me (Psalm 118), pavor tenuit me et tremor et omnia ossa mea conturbata sunt (Iob 4). Revelata est in auribus meis vox domini exercituum (Isa 22). Non remittetur ei, neque in hoc saeculo neque in futuro (Matth 12). Turbo domini in capite impiorum conquiescet (Ier 32), non flectetur neque parces neque miserebitur (ibid. 21). Reminiscor malorum, quae feci (Mach 6). Comprenderunt me iniquitates meae, multiplicatae sunt super capillos capitis mei (Psalm 39), supergressae sunt caput meum et sicut onus grave gravatae sunt super me (Psalm 37). Vae mihi! Mater mea, quare me genuisti? (Ier 18) Quare egressus ex utero non st[im] perii, quare exceptus genibus, cur lactatus uberibus? Quare misero data est lux et vita his, qui in amaritudine animae expectant mortem et non venit gaudentque vehementer, cum invenerint sepulcrum. (Iob 3) Utinam consumptus essem, ne oculus me videret, fuisset quasi non essem de utero translatus ad tumulum! (ibid. 10) Nunc enim dormiens silerem cum regibus et consulibus terrae, qui aedificant sibi solitudines aut sicut abortivum absconditum non subsisterem (ibidem 7). Pereat dies, qua natus sum, dies ille vertatur in tenebras (ibid. 3) Taedet animam meam vitae meae (ibid. 11). Vae mihi! Quamdiu ponam consilia in anima mea et dolorem in corde meo per diem? (Psalm 12) Dixi, nunc coepi (Psalm 78). Dixi, perii, desperavi (Ierem 2). In profundissimum infernum descendant omnia mea (Iob 1).

[p. 42] Scaena II

Colonus et satellites.

SAT. I. Quis est iste, qui celas consilium absque scientia? (Ioh 42)

SAT. II. Ecce homo, qui non posuit deum adiutorem suum (Psal 51).

COL. Vae misero mihi! (Ier 43)

SAT. I. Ecce hodie viderunt oculi tui, quod tradiderit te dominus in manu mea (1 Reg 24).

Nunquid nescis et non audisti? (Isa 4) Non est ulla creatura invisibilis in conspectu eius, omnia autem nuda et aperta (Hebr 4). Cur igitur me fugere voluisti? (Gen 31)

COL. Timui, ne morerer (Gen 26). Quaeso, noli me condemnare (Iob 10).

SAT. I. Condemnabit te os tuum et non ego (Iob 15). Prope sunt dies mortis tuae (Deut 31). Hoc est iudicium, quod ipse decrevistis (3 Reg 20). Apprehendite eum (3 Reg 13).

COL. Parce peccatis meis. (Zach 2)

SAT. I. Non parcam (Ier 17)^a. (*In vincula conicitur.*)

[p. 43] COL. Circumdederunt me dolores mortis, torrentes iniquitatis conturbaverunt me (Psal 17). Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? (Rom 7) Miseremini, miseremini mei saltem vos, amici mei, quia manus domini teteget me. Miseremini mei, miseremini mei (Iob 19).

SAT. I. Quis miserebitur tui? (Eccli 12) Amici procul recesserunt (Proverb 19). Non est, qui de manu mea possit eruere (Deut 32).

COL. Cum sit nemo, qui de manu tua possit eruere (Iob 10). O domine, libera animam meam (Psalm 114)!

SAT. II. Ubi sunt dii tui, quos fecisti tibi? Surgant et liberent te in die afflictionis tuae (Ierem 2).

COL. Nunquid bonum tibi videtur et calumnieris et opprimas me? (Iob 10)

SAT. I. Sanguis tuus super caput tuum (2 Reg 1).

COL. Quae utilitas in sanguine meo, dum descendo in corruptionem? (Psalm 29)

SAT. I. Iuxta est dies perditionis (Deuter 32). Revelabitur ignominia tua, videbitur op[ro]brium tuum (Isa 47). Prope est dies domini, magnus furor domini imminet (2 Par 28), paravit in iudicio thronum suum (Psal 9).

COL. Ex omni parte me angustiae premunt (2 Par 21). Dimitte me, ut plangam paululum dolorem meum. (Iob 10)

Scaena III

Colonus, paterfamilias et satellites.

SAT. I. Tradidit deus inimicum in manus nostras (Iudic 6).

PAT. Ecce ego iudicio contendam tecum (Ierem 2). Iuxta adinventiones tuas iudicabo te (Ezech 24). Si accepero ut fulgur gladium meum et arripuerit iudicium manus mea (Deut 32), reddam ultionem hostibus, vindicabor de inimicis meis (Ezech 21). Gladius limatus est, eductus et egrediens de vagina sua et fulgurans in amaritudine (Iob 20).

COL. Dedit me dominus in manu, de qua non potero surgere (Thren 1). Duo tantum ne facias mihi: Manum tuam longe fac a me, formido tua non me ter[re]at neque enim possum respondere (Iob 9).

PAT. Quid faciam populo huic? (Exod 17)

SAT. I. Domine, reus est mortis (Matth 26). Primogenitum filium tuum percussit (2 Reg 1).

PAT. Quid hoc audio de te? (Luc 16) Multum sanguinem effudisti, sanguinem innoxium (4 Rg 24).

^a Im Text findet sich zwar der Fußnotenanker (*p*), im Apparat steht dazu aber nichts.

SAT. II. Levia sunt haec. Tetendit enim adversus deum manum suam et contra omnipotentem roboratus est (Iob 25).

PAT. Non audis, quanta adversum te dicunt testimonia? (Matth 27) Responde (Iob 42)!

COL. Respondere quid possum? Si voluerit homo contendere cum deo, non poterit respondere unum pro mille (Iob 39).

PAT. Nunc igitur ecce: Nunquid super his non indignabor? (Isa 57) Aut super gentem huiusmodi ulciscetur anima mea? (Ierem 5) Tu fecisti in abscondito. Ego autem faciam in conspectu solis (2 Reg 12)]^a. Tu dicebas in corde tuo: „Quis me videt?“ (Ezech 22) Ego arguam te et statuam contra faciem tuam (Psal 49). Arguet te malitia tua et aversio tua increpa[p. 46]bit te (Ier 2). In igne furoris mei sufflabo in te (Ezech 21). Complebo furorem meum in ira mea et indignatione grandi (Ier 31).

COL. Iram domini portabo, quoniam peccavi (Mich 7). Peccavi et vere deliqui (Iob 33). Agnosco peccatum meum. Tu autem insidiaris animae meae, ut auferas eam (1 Reg 24).

PAT. Propter multitudinem iniquitatis tuae peribis (Abd 1). Reus es mortis (Matth 26). (*ad satellites*) Vos estis testis mei (Isai 44).

SAT. I. Domine, non parce oculus tuus illi. Si tibi placet, decerne, ut pereat (Esth 3).

COL. Ecce pereo tristitia magna (1 Machab 6). Nunquid abbreviata est manus mea, ut non possim redimere? (Isa 50) Omnes maledicunt mihi, unde quaeram consolatorem? (Nah 3) Obsecro, ut miserearis animae meae (4 Reg 1).

PAT. Duplicate duplicia in homine isto secundum opera eius: In poculo, quo miscuit, miscete illi, quoniam pervenerunt peccata eius usque ad caelum (Apoc 18).

[p. 47] SAT. II. Iustus es, domine, et rectum iudicium tuum (Psalm 118). Condemnas impium et reddis iram super caput eius (3 Reg 8).

Scaena IV

Paterfamilias et patronus coloni.

PATRO. Iustus quidem tu es, domine, si disputem tecum: Verumtamen iusta loquar ad te (Ier 12). Quiescat ira tua et esto placabilis (Exod 32). Nunquid in aeternum irasceris? (Psal 84) Nunquid usque ad internecionem tuus mucro desaeviet? (2 Reg 2)]^b Avertatur, obsecro, furor tuus (Dan 8).

PAT. Quomodo tu dicis? (Ioan 19) Nunquid irritum facies iudicium meum? (Iob 40) Peccantem in animam suam quis iustificabit? (Eccli 10) Longe a peccatoribus salus (Psalm 118).

^a Der Druck hat nur *Reg 12* ohne Buchzählung

^b Der Druck hat im Apparat nur *Reg 2* ohne Buchzählung.

PATRO. Ubi sunt misericordiae tuae antiquae, domine? (Psalm 88) Benigne fac, domine, in bona voluntate Sion (Psalm 50); quia tempus miserendi eius, quia venit tempus (Psal 101).

[p. 48] PAT. Non addam ultra misereri domui Israel (Ose 1). Non parces oculus meus et non miserebor (Ezech 8), peccatum aggravatum est nimis (Gen 18).

PATRO. Si iniquitates observaveris, domine, domine, qui sustinebit? (Psalm 129) Non iustificabitur in conspectu tuo omnis vivens (Psalm 142). Non est, qui tuae resistere possit voluntati, si decreveris salvare Israel (Esth 13); subest enim tibi, cum volueris, posse (Sap 12).

PAT. Impio praebes auxiliium et his, qui oderunt dominum, amicitia iungeris (2 Par 10)^a. Misereamur impio et non discet iustitiam (Isa 26). Impietas impii erit super eum (Ezech 10).

PATRO. Impietas impii non nocebit ei, in quacunque die conversus fuerit ab impietate sua (Ezech 33). Ne despicias hominem avertentem se a peccato (Eccli 8). Fac cum servo tuo secundum misericordiam tuam (Psalm 118).

PAT. Memoria illius pereat de terra (Iob 18).

PATRO. Reminiscere miserationum tuarum, domine, quae a saeculo sunt (Psalm 24).

PAT. Obliviscatur eius misericor[p. 49]dia (Iob 24), quia non est recordatus facere misericordiam (Psalm 108).

PATRO. O domine, libera eum, ut non descendat in corruptionem (Iob 32), ut declinet a ruina mortis (Prov 13). Frater non redimit, redimet homo (Psalm 48)^b.

PAT. Non credat frustra, quod in aliquo pretio redimendus sit (Psalm 48), quia zelus et furor non parces in die vindictae nec acquiescet cuiusquam precibus nec suscipiet pro redemptione dona plurima (Iob 15). Tu ergo noli orare pro populo hoc et non obsistas mihi, quia non exaudiam, non parcam neque miserebor (Prov 6), iam enim egressa est ira a domino (Ierem 11).

PATRO. Domine, cum iratus fueris, misericordiae recordaberis (Num 16).

PAT. Noli orare pro populo isto in bonum (Hab 3), quia desperata est plaga eius (Ierem 14). Absque retractatione morietur (Mich 1).

PATRO. Periisti, popule. Quis contristabitur super te? (1 Reg 15) Quis miserebitur tui? Quis ibit ad rogandum pro pace tua? (Thren 2) Prostravi preces meas, noluit acquiescere (Ier 15). Non fuerunt in [p. 50] auxiliium, sed in confusionem et in opprobrium (Isa 30).

^a Der Druck hat *Par 10* ohne Buchzählung.

^b Im Druck sind die letzten beiden Stellenangaben vertauscht.

Scaena V

Portatur ad patremfamilias filius vix non moribundus.

- SAT. I. Ecce filius tuus venit ad te (Gen 48), desideratus cunctis gentibus (Agg 2).
PAT. Sufficit mihi, si adhuc filius meus vivit. Vadam et videbo illum (Gen 45).
SAT. II. Ecce filius tuus (Ioan 19).
FIL. O vos omnes, qui transitis, attendite et videte, si est dolor sicut dolor meus (Thren 1).
